

Utrumque horum in religiosa vite professione quadrat. Nam illam quidem Christus, paterni iuris arbiter & author, vnicuique liberam esse pronuntiauit. Idque toties asseruit, quoties de suis consiliis ageret: nec voluit vt penes parentem eius rei potestas esset, quæ ad futurum spectat, & vltra patris prorogatur vitam, & imperium hoc verò genus vitæ, præterquam quod perpetuum est, etiam continentis votum annexum habet: quod vt iubeat, in patris potestate situm non est. In his nãque, vt ibid. D. Thomas asserit, quæ ad naturam corporis pertinent, homo homini obedire non tenetur, sed solum Deo: quia omnes homines natura sunt pares, vtputa in his quæ faciunt ad corporis sustentationem, & prolis generationem. Vnde non tenentur, nec serui dominis, nec filij parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate seruanda, aut aliquo alio huiusmodi. Ad hunc modum D. Thomas. Non enim rectores nobis à Deo dati sunt cū imperij potestate, vt nos esse præciperent, aut prohiberent, vel etiam viuere, aut eorū aliquid agere, quæ Deus naturam docuit: sed qui actus nostros regerent, præsertim eos, quibus aliis obesse, aut prodesse possumus, cū vellet homines inter se societatem inire, vitamque mutuis officiis tueri. Cùm igitur in his, quæ naturæ sunt, pares simus, nec cuiusquã nos iugo subdiderit, non poterunt nos parentes ad seruandam perpetuo castitatem imperio cõpelle- re. Idcirco autem pares natura dicimur, non quia eadem specie nati sumus, id enim ad rationem imperij vel subiectionis non pertinet: sed quia cùm Deus naturam per seipsum regendam susceperit, nulli in hanc permisit imperium: sed actus solummodo qui à voluntate proficiuntur, alios, quibus suas vices secundum quãdam analogiã inter mortales permisit, moderari decreuit, præsertim eos, quibus quisquam iniurari, aut offendi potuit, id est, externos, qui soli, vt arbitror, aliorum sensibus expositi sunt. Quod si etiam nonnullos naturæ motus regendi potestatem acceperunt ob insitam naturæ corruptionem, non tamen omnino tollendi, aut perpetuò prohibendi. Verumenimvero qua ratione ducti parentes, aut castitatem colendam præcipere, aut matrimonium cõtrahendum inlubere possint, omnino intueri non valeo. Tota namque humani amplitudo imperij circa hæc tantum porrigitur, nimirum, vt vel bona imperet, vel mala prohibeat, vel, si quæ sunt quæ adiphora esse censentur, aut imperet, aut prohibeat. Bonis autem interdicens nullum ius concessum est. At matrimonium in bonis est. Quapropter nec prohiberi poterit. Quod si etiam bonum aliquãdo prohiberi cõtingat, duabus tantum de causis id fieri certum est. Quarum prima illa est, vt quis propter sceleris atrocitatem bonis arceatur, nõ modò temporalibus, verum etiam diuinis: nam flagitiosus ab Ecclesiæ Sacramentis abstinetur. Altera, si quando minus boni vetatur, quo melius consequi liceat. Horum nihil in hanc questionem cadit. Nam si quis matrimonio aliter quàm fas est & decet vsus sit, dubium esse non potest, quin ad penitentiam peragenda in Monasterium detrudi possit. Verum non rei cuius-

Si naturam spectet, homines inter se pari iure certant.

In quibus homo homini subest.

Humani latitudo imperij.

quam, sed innocentis patrocinium suscipimus. An igitur idcirco quod matrimonij fœdus minus bonum, castitatis autem obseruantia longè potior habeatur, illud quidè verari, hæc autem iure merito à parētibus imperari poterit: Non deerit fortassis qui ad primum conspectum sibi videri respõdeat. At si rem paulò attentius consideret, inueniet matrimonium profectò naturale quoddam bonum esse: continentiam autem & castitatem, vt pote quæ sit naturalis boni priuatio, bonum nõ esse, nec aliter bonum effici posse, quã si religione cõsecratur. Ex quo sequitur, ne imperari quidè vllomodo posse. Quod si votum accedat, efficietur nõ modò bonum, verum etiam matrimonio multò melius, non aliã ob causam, quàm quod ita pollicitus est Christus, si quis seipsum propter regnum celorum executisset, tum Deum agamiam gratissimam habiturum.

Quid si nihilominus parentes vouerint? Respondet Lessius l. 2. de iustitia & iure c. 40. dub. 10. aliud vouere nõ potuisse, quàm se curaturos vt educeretur dũ adhuc impuber est, in Monasterio; & quãtum in se est, inducturos ad religionem amplectendam. Quodcumque enim aliquis promittit factum alienum ad quod cogere non potest, non censetur aliud promittere, quàm se, quãtum poterit, inducturum alium vt faciat, vt omnes iurisperiti censent, & colligitur L. stipulatio ista, de verborum obligationibus. Et instituit. De similibus stipula, §. si quis alium.

Aduerte tandè quid illa postulauerit, infamia scilicet liberari, prolem postulans, nõ vt se propterea insolentius iactaret, aut de sobole gloria- retur: sed potius vt haberet quod Domino consecraret. Emulatricis autem suæ ruinam non postulauit. Sed non iniuriam quidem acceptæ meminit. Malum enim proprium deprecari licet, alteri malè precari non licet.

Vita celestis vt in bonis haberi possit, religione cõsecranda est.

Parentibus si pro filiis seponaturus quid agenda sit. Lessius,

Inimicis male precari ne fas.

VERSUS 12.

Factum est autem, cùm illa multiplicaret preces coram Domino, vt Heli obseruaret os eius.

GEMINAM, inquit S. Ioan. Chryf. Hom. de S. Chryfost. fide Annæ, scriptor hic virtutè in fœmina suo testimonio cõprobauit: in precibus assiduitatem instantiamque, & animi vigilatiam: illam quidem, cùm ait, *multiplicauit*: hanc cùm addit, *coram Domino*. Nam omnes quidem oramus, sed non omnes in conspectu Domini. Etenim cùm corpore in terra prostrato, & ore frustra delirante, mens vbique per domum ac forum circũuagatur: quo ore talis potest dicere, quòd orauerit in cõspectu Domini? Nã in conspectu Dei orat, qui orat vndiquaque colligens suam mentem, nihil habes cum terra commercij, sed ad ipsum Deum totus commigrans, omni cõgitatione humana ab animo depulsa. Quemadmodum id temporis hæc fecit mulier. Totam enim sese collegerat ac mentem intenderat, atque ita Deum inuocauit animo dolente. Hæc sanctus Chryfostom. cuius antequam posteriora verba referamus, interserenda sunt quæ Vermilius

Qui dicantur orare coram Domino.

Vermilius.